



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXI. Vtrum voluntas credendi vltimò resoluatur in credibilitatem
mysteriorum Fidei, & iudicium de credibilitate?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

ab auctoritate diuina, non rectè responderet, nec ea esset resolutio propria Fidei diuinæ, sed humanæ; vt constat ex dictis superius.

Art. 1. Ad 6. Etiam existentia Dei est articulus à Deo reuelatus, & credibilis per Fidem, tanquam obiectum materiale, credendumque necessariò in ipso vitæ salutaris initio, iuxta illud: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Et tamen certum est, ante omnem, & quemlibet actum Fidei præsupponi euidentem aliquam cognitionem de existentia Dei; siquidem præcognoscitur euidenter, adesse obligationem credendi Deo, inductam per legem ab ipso impositam, eique placere, vt ipsi credatur, hic, & nunc, vt sæpe dictum, & deductum fuit ex eodem Apostolo quæst. præced. sub finem responsionis ad quæst.

Art. 2. Sicut ergo Deus præcognitus euidenter sub ratione entis à se, causæ primæ, aut alia simili, creditur simul per Fidem obscure sub alia ratione, non vtrumque, sed talis, qualis agnoscitur à Fidelibus; nempe cum Omnipotentia omnium Providentia, aliisque similibus perfectionibus, vt docet in hanc rem D. Th. dicta q. 14. art. 9. ad 8. Ita etiam prima veritas præcognita euidenter sub aliquo ex conceptibus, & modis exprimendi, quos quæst. 15. ostensum est, esse mutuo conuertibiles, & æquivalentes, potest esse motuum credendi eandem primam veritatem sub aliquo alio conceptu, & modo eam exprimendi, eritque proinde eadem re ipsa perfectio obiectum formale; & simul materiale; ratio credendi, & res credita sub diuersis expressionibus, & modis concipiendi, ac per consequens Fides de prima veritate resoluetur vltimò in eandem primam veritatem inter præconceptam, & præcognitam euidenter. Ex qua doctrina obiter apparet, quo pacto in concordiam facillè redigantur inter se, & cum nostra opiniones auctorum circa resolutionem Fidei, quæ totidem sunt, atque fuere circa motuum, eodemque modo conciliantur, quo conciliatæ sunt circa motuum quæst. illa 15.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum voluntas credendi vltimò resoluitur in credibilitatem Mysteriorum Fidei, & iudicium de credibilitate?



IDEATUR non resolui. 1. Quia vt prudenter quis eligat credere aliquid, non sufficit id esse credibile; sed necesse præterea est esse credibilis omnibus oppositis. Ergo voluntas credendi mysteria nostræ fidei, si quidem est prudens, non resoluitur vltimò in solam credibilitatem eorum.

2. Id est maximè credibile, quod plerisque videtur, & probatur; non autem sunt talia Mysteria nostræ fidei, vtpote quæ parti generis humani longè maiori videntur falsa, & incredibilia. Ergo id in quo vltimò quiescit voluntas credendi Mysteria nostræ fidei, non potest esse credibilis eorum.

3. Id in quo vltimò quiescit quilibet actus voluntatis, est bonum vtile, iucundum, aut honestum. Credibilitas autem, non est species alicuius eiusmodi boni, quia credibile dicitur relatè ad intellectum, & bonum relatè ad voluntatem. Ergo.

Art. 1. Resp. Quoniam responsio data in quæstione præcedenti, interrogationi, Cur credis? nondum omnino satisfacit interroganti; neque verò interrogatio, aut responsio vltèrius procedere possunt in-

tra terminos formales actus fidei, & circa motuum formale credendi, cogitur interrogans aliò diuertere, vt inueniat quietem sui intellectus, eaque interrogatione cogatur fidelis reddere rationem aliam, quæ ostendat, se dum credit, rationabiliter agere quod debet, neque posse iuste suam fidem ab aliis contemni. Instaurat igitur ille interrogationem aduersus primam illam, & vltimam responsionem Fidelium: *Quia Deus dicit.* Instaurat verò sic. Si quidem hoc principium non est per se notum, neque ex per se notis euidenter deductum: Cur captiuum tenes intellectum in eo credendo, quod latet? Respondet fidelis. Quia volo. Inquirenti rursus; cur velit? Respondet. Quia honestum est submittere intellectum Deo ostendenti, ac probanti sufficientibus testimoniis, se esse auctorem huius Doctrinæ; atque oppositum fieri, nisi per illum scelus non potest; id verò ostendit Deus, & probat sufficientibus testimoniis.

Art. 2. Quoniam æquitas, & sufficientia huius responsionis est euidentissima, si subsistat, quod dicitur, Deum sufficientibus testimoniis ostendere, ac probare se esse auctorem huius doctrinæ, huc demum inquisitio vnicè incumbit; vnde id constat: Respondetur autem constare: quia in confirmationem huius doctrinæ, tradentis inter alia primo loco, quod ipsa sit deriuata à Deo, patrata sunt plura, ac magna miracula, quibus inducta est in mundum fides eiusdem Doctrinæ; & si absque illis inducta esset, ipsa esset maximum essentialiter miraculum. Alique præterea effectus supernaturales euenire in confirmationem eiusdem veritatis, quorum auctor nullus nisi idem ipse Deus esse potest; atque in eam rem ea recensentur, & ponderantur omnia, quæ proposita, & ponderata sunt quæst. 18. vbi etiam ostensum est, non nisi per summam imprudentiam, & turpissimam obstinationem resisti illis posse. Quo ostensum consequenter est, inquisitionem non debere vltèrius procedere, & interrogantem, nisi acquiescat, acturum esse imprudentem; Imò et si maximè imprudenter agere velit, non posse non euidenter cognoscere, quod prudenter accomodetur fides huic Doctrinæ, nec possit sine peccato negari, aut in dubium reuocari, si ea omnia considerare velit, quod si nolit considerare, eo ipso grauius peccare, vt mox dicitur.

Art. 3. Sed redit in fidelis, & vrget vltèrius: Esto ea argumenta doctrinæ Euangelicæ ostendant euidenter aliqualem eius credibilitatem, non tamen ostendere, quod prudenter credatur, & multò minus, quod ad sit obligatio eam credendi. Quia ea argumenta non ostendunt euidenter veritatem huius doctrinæ; sed solam credibilitatem coniunctam cum summa difficultate credendi; maximè verò exequendi, quæ docet esse necessaria ad felicitatem consequendam, quæque proinde redduntur simpliciter ad eam necessaria, si præstetur fides illi doctrinæ, quatenus vnusquisque tenetur operari iuxta suam Fidem, & debet esse miles, si illi contraveniat. Ergo rationabilis, ac regulis prudentiæ conformis est, relicta ea doctrina, ad hæc se soli rationi, eisque solis principiis assentiri, quæ euidenter ipsa ostendit esse vera; ideoque non solum facile, sed etiam necessariò illis assentitur, & ea sola amplecti præcepta morum, quæ eadem ratio nobis euidenter imponit, vt necessaria ad felicitatem, & sunt facilioris, ideoque sperabilioris executionis, quam præcepta Euangelicæ, & aliunde sunt sufficientia re ipsa, ad beatitudinem consequendam, si sola credantur esse necessaria. Probat ille consequentiam, quia oblati duabus regulis obtinendæ beatitudinis, alia euidentis veritatis, alia non euidentis; alia facilioris, & sperabilioris executionis, ideoque gignentis maiorem spem obtinendæ felicitatis, quam altera gignere possit, sola prior est prudenter eligibilis, nec nisi

nisi stultè, & cum aliquo felicitatis contemptu eligi posterior potest.

Art. 4. Respondet postremò Fidelis, posita promulgatione Doctrinæ Catholicæ, nullâ superesse Doctrinam, nec ullam iniri posse viam quæ doceat eundem modum, & media omnia sufficientia ad obtinendam Beatitudinem. Quia hæc Doctrina docet inter alia, neminem sine ipsa saluum esse posse; atque ipsa nec est euidenter vera, nec euidenter falsa. Ergo sine admittatur, siue reiiciatur hæc doctrina, est iam impossibile, ut solæ cognitiones euidenter dirigant sufficienter ad obtinendam beatitudinem. Si quidem ergo coniecti à Deo sumus in necessitatem inuitabilem, eligendi doctrinam ineuidentem directiuam ad beatitudinem, considerandum superest, quænam Doctrina sit dignior, propter argumenta quibus nititur, ut illam eligamus; & verum sit aliqua absolute digna nostræ electionis, cõparatione Fidei Catholicæ.

Art. 5. In ista autem cõparatione, patet præminere, esseque longè maiorem credibilitatem Doctrinæ Catholicæ, quàm purè philosophicæ, propter fundamenta illius iam ante indicata. Quia aduersus eam, & pro Gentilismo solæ opponuntur rationes, quæ facili reflexione deprehenduntur ortæ ex sola intellectus nostri debilitate; cuius aciem prætergrediuntur Mystema nostræ Fidei, propter magnitudinem, & excellentiam; Sicut è conuerso nonnulla naturalia diffugiunt eandem, propter paruitatem indiscernibilem, & vilitatem obicurarum suæ conditionis, ut notatum fuit quæst. 18. ad 1. Quod ad cõparationem difficultatis, & spei attinet; hoc vnum sufficit à posteriori; Pures esse Professores Doctrinæ Catholicæ, qui illam integrè, ac perfectè obseruauerint, quàm Professores Legis purè naturalis, qui ei perfectè obedire visi sint, ut apparet ex veteri, & moderna historia Imperatorum, Principum, Philosophorum, ac plebis. A priori adest discrimen Gratiæ specialis optulantis fidelibus, & erigentis eorum spem, qua, & Gratia, & spe speciali destituuntur infideles. Deinde veritas, non est metienda facilitate, cum ea si posita in arduo, etiam in ordine naturæ. Nempe ignorare, & errare facilius semper fuit, & contigit pluribus, & habetur nihil agendo, nullamque superando difficultatem.

Art. 6. Iam si cum eadem Doctrina Catholica conferantur, Idolorum seruitus, Mahometismus, & alia eiusmodi Religionum formulæ non admittentes ullam partem doctrinæ reuelatæ, & admittentes principia aliqua peculiaria ultra documenta rationis naturalis vniuersaliter admissa, à fortiori sunt contemnendæ; eidemque doctrinæ Catholicæ postponendæ. Quia cum nihil perfectionis adiciant rationis naturalis directioni legitimæ, deficiunt præterea ab illa, pluribus circa mores, & Diuinitatis, ac beatitudinis naturam crassis erroribus, ob quos etiam apud Philosophos, vel mediocriter peritos scientiæ naturalis, semper contemptui fuerunt. Quod non obscure colligitur ex Aristotelis, Senecæ, Ciceronis, & aliorum talium plerisque scriptis. Hebraismus porro, & omnes vniuersim hæreses, partim admittentes, & partim reiicientes doctrinam diuinam, quam Catholica tenet Ecclesia, vel hoc vno ex capite sunt omnino contemnendæ, ac vitandæ; Quia cum argumenta doctrinæ diuinæ superius expensa, sint omnia communia omnibus, & singulis partibus tum Veteris, tum noui Testamenti, & mutæ connexioni vtriusque; dum earum sectarum Professores aliquas eius partes reiiciunt, consequenter contemnunt ea omnia argumenta, non minus, quàm qui nullam partem admittunt doctrinæ reuelatæ; quæ tamen iam satis apparuit contemni prouidenter, & sine peccato non posse.

Art. 7. Contemptis autem iis argumentis, reli-

quam est iis sectariis, ut, sicut faciunt pro sua quisque libidine, & rationibus, atque affectibus purè humanis, ac temporalibus, approbent, quæ placent; improbent, quæ displicent, cõfingentes pro intelligentia Scripturæ Sacræ, & discerniculo partis in ea Canonice, instinctum purè internum Spiritus Sancti communicatum singulis independentè à legitima exteriori Prædicatione. Quod fit contra Pauli documentum expensum quæst. 18. & cum magna numinis offensa, cui negant Pronidentiam erga homines, congruentem conditioni humanæ; hoc est sapientem, & perfectam, atque beneuolam, & qualis, ut eodem in loco indicatum est, reuelata est in ipsa scriptura; dum dicunt, hominibus nihil percipientibus independentè à sensu, & facili aberrantibus in intelligentia Scripturæ, atque in reflexa discretione instinctuum internorum, nullam à Deo prouisam esse sensibilem fidei regulam, qua certissimè in cognitionem veritatis dirigantur, & in vera, ac salutari Religionis professione vnanimiter foueantur.

Art. 8. Ex quibus, & alijs eiusmodi compluribus, quæ instituti nostri ratio non patitur, ut longius in præsentem prosequamur, constat resolutionem Iudicii de credibilitate præeuntis ad fidem Catholicam, fieri in argumenta, quæ absolute, & cõparatiuè sunt summi momenti, & longè præponderantia alijs quibuscumque contrariis, quæ proinde omnes considerare teneantur, eisque sese submittere, de quo iterum infra dum de necessitate fidei. Patet igitur postremò rationabilem, prudentem, & sufficientem ad quietandum intellectum esse resolutionem ultimam voluntatis credendi, in credibilitatem fundatam in dictis Christianæ Fidei argumentis.

Ad 1. Ita ostensum est esse credibilia Mystera nostræ Fidei, ut non solum absolute talia sint; ei etiam cõparatiuè, in cõparatione quorum, nihil eisdem contrarium sit prudenter credibile. Optimè autem resoluitur vlt. mò in huiusmodi credibilitatem voluntas prudens, & honesta credendi.

Ad 2. Iam iterum dictum est supra, id esse maxime credibile, quod plerisque videtur, ac probatur, ceteris paribus. In præsentem autem non datur paritas quoad cetera; sed talis disparitas, quæ prorsus reddat contemptibilem numerum contradicentium nostræ Fidei, propter malam voluntatem, qua vel nolunt attendere ad argumenta Fidei Christianæ, vel illis iam cognitis, nolunt iisdem acquiescere propter repugnantiam, quam vident in Doctrina Evangelica respectu vitiorum, quibus adherent, ut apparet ex omnibus superius discussis. Potest ergo voluntas credentis vltimò conuiescere in Mysteriorum nostræ Fidei credibilitate, non obstante numero maiori contradicentium.

Ad 3. Bonum solum superaddit supra ens, relationem rationis ad appetitum. Vnde quælibet ratio specialis boni fundatur in aliquo speciali prædicato præscindenti ab appetitu, atque eiusmodi prædicatum respectu voluntatis honestè eligentis, ac præcipientis intellectui fidem alicuius obiecti, est eiusdem obiecti credibilitas. Ergo facta resolutione voluntatis credendi in credibilitatem eius, quod creditur, facta reipsa erit resolutio in specialem honestatem, quæ in tali opere desideratur, & perinde valet, atque si fieret resolutio in rationem formalem talis determinatæ honestatis, nisi quod prior resolutio est magis à priori, & magis proinde quietat intellectum inquirentis. Certe ea facta resolutione, nulla noua superest difficultas in resolutione posteriori, ut patet.